

12020.

1746, 13.

PROCANCELLARIUS
D. FRIDER. ALEANDER KVNHOLD
PANDECT. PROF. PVBL. CANON. NVMBVRG.
ET FAC. IVR. ASSESSOR

SOLEMNIA
IN AVGVRALIA
CANDIDATI CLARISSIMI
BENIAM. AVGVSTI FRIDERICI QVEHLII
FRANCOHVSANI
D. XXIX. DECEMBERIS MDCCXLVI.
CELEBRANDA
INDICIT.

PROGAGELLARIA
DURIDER ALFENDER XUNHOLD
FUNDATI PROBIS BAVIS GAVIOZ DUMARO
TETRACONIA ALESSANDRO

SOLEMNI
IN AVARIA
CANDIDATI CIRRISSIMI
DEMMAR VACASIT TRIDUUM QVINTI
TAMCOHAMI
VERA
LUTAFRIDI
TIT



antiqua controuersia, inter Iurisconsultos Saxonicos diu agitata, an conuentiones patris cum liberis maiorenibus, in eius potestate constitutis, emancipatione, vel Iuris Civilis permissione deficiente, valeant, nouissima sanctione, quae inter Decisiones hoc anno promulgatas decima quarta extat, sublata est, neque ob summam Potentissimi Legislatoris Elektoratus Saxoniae auctoritatem, vñquam in terris nostris reuiuisceret. Qua in re votum *Autoris Consult. Saxon.* cuius verba refert *TITIVS in Dissert. de contractibus patris & liber. in eius potestate existentium* §. 55. vt expressa constitutio fieret, implementum accepit. Dispositum autem est in memorata *Decisione XIV.* Ein Contract welchen ein Vater mit seinen Kindern, so ihre Mündigkeit erlanget, geschlossen/

IV

sen, ist um deswillen, daß er solche nicht vorhero
emancipiret, vor ungültig keinesweges zu halten. Haec mihi occasionem suppeditant vtriusque partis
argumenta summo digito & quasi per indicem com-
monstrandi. Noti sunt dissensus ICtorum, ac varian-
tes Dicasteriorum Saxonorum circa hanc quaestio-
nem sententiae, ab allegato TITIO in citata Dispu-
tatione, WERNHERO Obs. for. P. V. obs. 189. &
Suppl. ad cit. Obs. & BERGERO Oec. Iur. L. I.
Tit. 3. §. 16. & P. 2. Resp. 287. relatae. Vrgebant
validitatis horum contractuum Patroni: ignorare Ius
Germanicum & Obseruantiam Iuris Saxonici fictio-
nem vnitatis, quae impedit quo minus inter patrem
& filium aut obligatio nasci, aut contractus iniri possit,
nec opus esse hoc casu emancipatione, aut patrem,
dum cum filio contrahit, eundem saltem ad eum
actum emancipasse intelligi, cum in iis quae pendent
a mera facultate, is qui vult consequens, non possit
non velle antecedens, sine quo ad illud consequens
nequit peruenire; haud par esse, negotia bona fide
celebrata, sub fictae cuiusdam, aut pictae vnitatis praetextu
irrita dicere, in eos potius, qui ista sibi aliquique
persuadere conantur, eximie quadrare videri illud
Celsi adolescentis, quod refert PAVLVS in l. 91. §. 3.
ff. de V. O. est haec quaestio de bono & aequo, in
quo genere plerumque sub auctoritate iuris scientiae
perni-

*perniciose erratur; publice interesse, ne ex nimia
subtilitate voluntates contrahentium interuertantur;
contraetus patris & liberorum apud Germanos non
esse infrequentes, quos omnes si quis vnitatis intuitu,
si nihil aliud obstat, irritos dicere velit, is magnam
stragem negotiis bona fide celebratis esset illatus.
Negantes e contrario sententiae suae fundamenta in
eo collocabant, quod Iure Romano regulariter; ex-
cepto peculio castrensi, quasi castrensi & aduentio,
conuentiones onerosae & gratuitae patris & libero-
rum, potestati eius subiectorum, non subsistant, idque
*L. 2. ff. de contr. emt. qua inter patrem & filium
contrahi emtionem non posse, & Lege II. atque 17.*
*C. de donat. vbi: in eum, qui in sacris familiae tuae
remanet, destinationem magis paternae voluntatis
factam, quam perfectam donationem peruenisse, sa-
ne si ea, quae in potestate positis donaueris, post
emancipationem contra tuam tenuerint voluntatem,
horum penes te dominium remanet; siquidem nec
tempore, quo voluisti, propter vinculum potestatis
sibi quicquam querere, nec post, te inuito, de rebus
tuis potuerunt, sancitum est, corroborant, atque
hanc Iuris Romani dispositionem per *Constit. Elect.**
*10. P. 2. verba: Weil in denen Sächsischen Rech-
ten nirgend zu befinden, daß die väterliche Gewalt
insonderheit aufgehoben, so bleibt auch dieselbe**

VI

nochmahlſ nicht unbillig bestehen, confirmari existimabant, indeque colligebant, contractum quemuis inter patrem & filiam eius iuri subiectum, etiam hodie esse inualidum, cum & hic sit patriae potestatis, ex que ea fluentis vnitatis, effectus; fictioni vnitatis fruſtra fictionem emancipationis vel tacitae vel virtualis opponi, priuatis enim non licere media consequendi finem fingere, etſi & Leges & mores repugnant; ad mores Germaniae & Obſeruantiam Iuris Saxonici perperam confugere dissentientes, atque nec prius assertum, neque posterius idoneis argumentis probare. Sed hunc hunc nodum Gordium soluit Potentissimus Legislator in Decisione, quae huic ſcriptioni anſam praebuit.

Nunc Clarissimi Candidati **BENIAMIN AVGVSTI FRIDERICI QVEHLII** honestum ac laudabile vitae & studiorum curriculum commemorabo more recepto. Natus est *Franco-huſae die ſeptimo Iunii MDCCXXIV.* Patrem veneratur **CHRISTOPHORVM GOTHOFREDVM QVEHL,** Sereniffimi Principis Schwartzburgici Consiliarium aulicum & Consistoriale, Matrem vero ANNAM MAGDALENAM, ex familia VOLCKIORVM ortam. Erat autem cariſſimis Parentibus nihil prius, nihilque antiquius, quam ut in eunte aetate

aetate fundamentis fidei, studiisque humanioribus
rite institueretur, mature itaque eum curae Ioh.
ARNOLDI MOELENFELDII & Ioh. ANTONII
KIRSCHII, qui nunc in pagis Seehusensi & Rottle-
biensi verbum diuinum docent, commiserunt, quo-
rum & Kirschii in primis industria felices in addic-
tis bonis literis fecit progressus, iisque innutritus,
iussu Parentum Anno 1741. iura ciuitatis in Acade-
mia Ienensi adeptus, Praestantissimos ibi Professores
& Doctores, HEIMBURGIVM, DARIUSIVM, HELL-
FELDIVM, cuius hospitio fruebatur, & WEGNE-
RVM, insigni discendi flagrans cupiditate, audiebat.
Inde ad Fridericianam, quae Halae floret, Acad-
emiam accessit, & Celeberrimos Viros BÖHMERVM,
WOLFIVM & CARRACHIVM studiorum Duces
secutus est. Postea in patriam redux factus, per
biennium in practicis exercitationibus, praecepta at-
que optima quaerens subsidia subministrante Patre
ipsius venerabili, cui ut publice gratissimam mentem
exponat, pietatis & reuerentiae postulare rationem
recte existimat, multum operae posuit. Tandem
studiis academicis finem impositurus, Lipsiam se
contulit, & postquam in expoliendis Iurium diuersorum
praeceptis *Summe Reuerendi RIVINI*, sub cuius
moderamine materiam legatorum & fideicommissorum
ex Ludouici compendio Digestorum publice
defen-

AMANUS LIBRORUM ANTONII 1671

VIII

defendit, RICHTERI & M. FRANCKII, quorum prolixam in se voluntatem singulari obseruantia & deuincti animi testificatione prosequitur, vhus esset, & hoc anno *commentationem de feudo alternatiuo*, ad demonstrandos studiorum profectus, edidisset, vt praemia industriae atque acquisitae iuris scientiae ab Ordine nostro acciperet, modeste petiit. Annuimus desiderio eius honesto, & in vtroque examine talem deprehendimus, quam maturiora eius studia, expectare iubebant. Exposita igitur in Auditorio Petrino L. 30. C. de appellat. & consultat. atque inaugurali specimine de obligatione extincta iterum reuiuiscente sub Praesidio Summe Reuerendi, Illustris atque Magnifici Domini JOHANNIS FLORENTIS RIVINI, Icti, Codicis P. P. Canonici Martisburgensis, Capituli Wurcensis Decani, Academiae Decemuiri, & Fac. Iurid. Affessoris, Collegae Honoratissimi, qui Promotor a me tanquam Procancellario ex Decreto Ordinisrite constitutus est, propugnato, dignitate Doctoris in vtroque Iure extra Facultatem merito suo condecorabitur. Quem actum solennem vt Rector Academiae Magnificus, Comites Illusterrimi, vtriusque Reipublicae Proceres grauissimi, atque Generosissimi & Nobilissimi Academiae Ciues praeſentia frequenti illustriorem reddere dignentur, qua decet obseruantia & humanitate rogo.

D. Lipsiae Festo natu. Christi MDCCXLVI.


EX OFFICINA STOPFFELIANA.

vol 18

ULB Halle
006 529 909

3







PROCANCELLARIUS
D. FRIDER. ALEANDER KVNHOLD
PANDECT. PROF. PVBL. CANON. NVMBVRG.
ET FAC. IVR. ASSESSOR

SOLEMNIA
IN AVGVRALIA
CANDIDATI CLARISSIMI
BENIAM. AVGVSTI FRIDERICI QVEHLII
FRANCOHVSANI
D. XXIX. DECEMBERIS MDCCXLVI.
CELEBRANDA
INDICIT.